



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dissertationes Juridico-Theologicæ De Jure, & Justitia

Karchne, Simon

Augustæ Vindelicorum ; [Graz], 1714

§. III. An homo sit proprietarius bonorum fortunæ, seu externorum
suppositâ primâ rerum divisone, & quid de dominio Angelorum,
dæmonum, ac Christo ut homine.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40013

faret obligatio, uti & si communicaret absque secreti conditione.

Eadem obligatio stringit reum, si hic delictum testis, aut accusatoris per

injuriam novit v. g. aperiendo litteras ad testem, vel accusatorem datas, aut ab eo missas: tunc enim detectio non est iusta defensio, sed lothalis detractio.



§. III.

*An homo sit proprietarius bonorum fortunæ, seu exter-
norum suppositâ primâ rerum divisione & quid de dominio
Angelorum, Dæmonum ac Christo ut homine.*

28. **B**ona fortunæ, seu purè externa sunt omnia sublunaria, ut agri, montes, flumina, &c. alia ultra sublunaria, ut Cælum, ac cætera corpora cælestia. Prima rerum divisio nullo jure divino, aut naturali præcepto facta est, quia scriptura nullibi revelat esse faciendam, nec natura per se inclinatur ad earum divisionem, sed reliquit omnia communia, ut quisque capiat quantum est necesse, permittebat tamen jus naturæ, ut fiat divisio, fuitque omnino hæc necessaria suppositâ hominum depravatione, eorumque multiplicatione ad præcidendas lites atque rixas in rebus occupandis, retinendisq; occupatis; unde cum jus naturale dicitur pacem esse servandâ in humana Societate, & ad eam post corruptos mores fuerit necessarium medium divisio rerum, ad hæc obligabat: sed quia nisi ex consensu omnium, aut ferè omnium gentium fuisset stabilita divisio rerum, pax firma non fuisset, hinc rerum divisio non est de jure naturæ simpliciter, sed de jure gentium, cum natura de se non dicitur, ut hæc res

potius, quam alia, ejusque potius major quàm minor portio ad hunc præ alio spectet, necessarius erat interventus gentium, aut ex horum consensu principis, qui determinaret ac bona communia reduceret ad jus proprietatis hominum.

Credibile autem est, quod suppositâ conventionem gentium divisio dominiorum facta sit partim occupatione, partim sortitione, ut si plures aspirarent ad occupationem ejusdem rei ad lites vitandas forte decideretur, sicque acquisitum jus proprietatis ad posteros transmitteretur. His prænotatis.

Dico primò homo est proprietarius Dominus rerum sublunarium mobilium, ac immobilium, uti patet ex *Gen. 1.* ubi conditio homini tradita est dominandi potestas in terra, mari & aëre videlicet volatilibus Cæli, piscibus maris, & bestiis terræ, secus rerum superlunarium, quia de his nihil potest disponere, potest tamen eorum influentiis uti, proinde est quasi usufructus cælorum, &c. fieretque illi injuria si per vim impediretur ab eorum usu,

usu, e contra de rebus aliis semel legitime acquisitis liberè potest disponere, aliorumque libertatem in favorem suum stringere.

Dices conclusio locum habet in primò homine ante lapsum, secus post hunc. Respondetur hic error fuit Wicleffi & Hus damnatus apud Rod. hic Quæst. 3. Sect. 3. §. 2. Qui negarunt principes, si fuerint impii, manere vere Dominos rerum suarum.

Notandum tamen, quod per rerum divisionem non ita sint bona externa appropriata, ut in extrema necessitate quis nequeat accipere ex alterius bonis, quantum necessarium est ad vitæ sustentationem ea consumendo aut vendendo, eorumque dominium in alios transferendo, esto non sit eorum Dominus, sicut etsi Pater non habeat jus proprietatis in filium, potest tamen in extrema necessitate eum vendere, seu ad servitutem redigere, aut sub jure proprietatis alterius imperfecto constituere. Ratio est, quod lege naturæ habeat jus conservandi vitam, cui non potest præjudicare jus gentium, ergo lege naturæ in extrema necessitate omnia bona sunt communia, sed ad bona communia nullus habet jus proprietatis in particulari, quare extremè egentem impediens rerum Dominus ab harum acceptatione non peccaret juxta communioem contra justitiam commutativam, sed charitatem: verùm mihi probabilius est, ut videbimus quod sic egens habeat jus strictum ad rem non determinate ad rem hanc, sed vagè proinde habeat jus sibi detinendi, & occupandi non minus quàm ante divisionem, ergo impediens illum facit illi injuriam.

Dico secundò Angelos esse Dominos

rerum suarum spiritualium famæ, honoris à paritate hominis, habent enim jus, ut non revelentur eorum arcana, non decipiantur aut violenter exturbentur loco, non tamen sunt proprietarii rerum corporalium sed administratores. *Less. lib. 2. c. 4. dub. 1.* Cum enim defacto rerum temporalium Dominus sit constitutus homo sequitur eorundem dominium non datum Angelis, aliàs daretur dominium insolidum penes duos contra dicenda, poterant tamen constitui rerum Domini imò etiam vitæ hominis, Lugo *hic Disput. 3. n. 4.* Etiam Dæmones sunt veri Domini suarum operationum secùs alicujus creaturæ hujus mundi, Quod enim *Joan. 12. v. 31. & c. 14. v. 30.* appelletur caput malorum, Pater peccatorum, Princeps hujus mundi: non enim sic dictus est, quasi dominus, sed quia ob peccatum, ad quod allicit, tenet pœnæ obnoxium, non ut Judex aut Dominus sed velut Carnifex à DEO constitutus & minister justitiæ Divinæ vindicativæ. Vide Brisacensem in *tract. de Angelis Disp. 2. n. 57. & sequentibus.*

De Christo ut homine an dum in terris versatus est, fuerit Dominus temporalis saltem Regni Israël vide Brisacens. *De Incarnat. Disput. 3. à n. 266.* Amic. *de Incarnat. Disput. 31.* Certum est Christum secundum voluntatem humanam esse capace[m] juris proprietatis creati.

Certum est secundo quod divinum jus proprietatis conveniens Christo quia DEUS est per communicationem idionatum sit Christi qua hominis.

Difficultas ergo est de jure proprietatis creato in temporalia, an illud, ut homo est, habuerit. Primò non habuisse hæreditario jure dominium in Regnum Israël,

D 2

et si

etsi fuerit de familia David, ad quam spectabat Regnum Israël probatur: quia ante Christum natum fuit Regnum Judæ ablatum à tota familia Davidis uti liquidum est ex Jerem. 22.

Restat controversia an DEUS Christo ut homini titulo filiationis naturalis Regiam dignitatem, & Dominium directum temporale in omnia regna mundi

communicaverit. Affirmant multi cum Soarez Molin. non pauci negant cum Vasquez contententes solum Regiam potestatem non solum spiritualement, sed etiam Politicam præcipiendi in omni materia temporali jusque dicendi in toto orbe, litesque dirimendi, hanc ut propabiliorrem sequitur Amicus n. 37.

ARTICVLVS SEXTVS.

De Dominio Proprietatis Religiosorum.

§. I.

De Dominio Religiosorum Conventuum in Communi.

29. **D**ico primò secundum jus commune ferè omnes Religiosi Conventus sunt capaces pleni domini bonorum etiam immobilium, est Communis contra Navarrum Contententem, quod Communitas Religiosa sit solum administratrix bonorum, dominium verò sit penes Christum. Dixi ferè omnes, quia Franciscani de observantia dicti, uti & Capucini sunt incapaces omnis domini: sic enim excipiuntur à Trident. *Sess. 25. c. 3. de Regular. & à Nicol. 3. Extravag. exiit de U. S.* Ubi dicit ad se, & ad Romanam Ecclesiam pertinere dominium rerum, quibus præfati Religiosi utuntur, immediate autem præmiserat loquens de aliis, quod Monachus res sibi oblatas vel dona-

tas Monasterio acquirat. Trident. autem dicit: deinceps omnibus aliis Religiosis licere possidere etiam generaliter bona immobilia. Ex quibus sic argumentatur. Eo modo Ordinibus competit domini pleni possessio quo modo agnoscit sedes Apostolica jis competere, sed hæc agnoscit jis competere possessionem pleni domini, sedes enim Apostolica reddit incapaces solos Franciscanos & Capucinos, nec intentio fidelium vult penes ullum alium esse dominium, nec mens conventuum paupertatem excludit dominium à communitate, sed à singulis in particulari, ita ut deinceps nihil sibi, sed monasterio acquirant *cap. cum olim 2. de privil: ubi Innocent. inquit: quidquid Monachus acquirat, monasterio acquirat.*

Con.